





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.



In hac volumine continentur:

- 1., de Sanguificatione. Jen. 1687.
- 2., de mensium muliebrium fluxu et suppressione. Hal. 1694.
- 3., problemata practica febrium therapia et patholog. Hal. 1695.
- 4., de passionibus animi corp. hum. varie alterabilibus. Hal. p. 1.
- 5., de dyspepsia naturae in medendo. Hal. 1695.
- 6., de dysorexia naturae. Hal. 1696.
- 7., de morbo retrogrado. Hal. 1697.
- 8., de morbis habitabilibus. Hal. 1698.
- 9., qui bonas theoreticis, malis practicis. Hal. 1798.
- 10., de requisitis bonae nutritionis. Hal. 1698.
- 11., de pathologia falsa. Hal. 1698.
- 12., de venae sectionis patrocinio. Hal. 1698.
- 13., de commotionibus sanguinis activis et passivis. Hal. 1698.
- 14., de inflammationi circa pathologia. Hal. 1698.
- 15., de aegro haemoptyl. perniciosa laborante. Hal. 1699.
- 16., de sterilitate feminarum per naturam. Hal. 1699.
- 17., de febri pathologia in genere. Hal. 1702.
- 18., de morbis corruptis. Hal. 1702.
- 19., de opinionibus medicis. Hal. 1702.
- 20., de affectibus oculorum in genere. Hal. 1702.
- 21., de fistula laryngali. Hal. 1702.
- 22., de vitio Auditionis. Hal. 1702.
- 23., de methodo medicandi. Hal. 1702.

- 24., de mensura infantij vry. Kal. 1702.
25., de fluxu mulierum quatenus mensuræ causa. Kal. 1702.
26., de medicina medicinae necessaria. Kal. 1702.
27., de Evacuantibus Selectioribus. Kal. 1702.
28., de venarum sectione in febrilibus acutis. Kal. 1703.
29., de dispensa medicorum. Kal. 1703.
30., de naturæ erroribus medicorum. Kal. 1703.
31., περί ἁγορεύσεως ἀπὸ δεινότητος. Kal. 1703.
32., de vulnere lethali. Kal. 1703.

21

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
De
AFFECTIBUS
OCULORUM
IN GENERE,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI, ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HÆREDE &c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGI ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFES. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni
observantia cultu prosequendi,*

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraque & Privilegia
legitime capeffendi,

ad diem Junii, Anno M DCCII.

Horis ante & pomeridianis
publice ventilandam proponit,

ERNESTUS CHRISTIANUS Sangel
Vratisl. Siles.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
AFFECTIBUS
OCULORUM
IN GENERE

Quam

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
SEMPERISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DN. BRIDRICO WILHELMO
REGNI RUSSICI ET ELECTORIS BRAN-

DENBURGENSIS HARDE & SA
GEBLORO FACULTATIS MEDICAE CONSERVATI

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHLI

MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORD. NAU.

IN FACULT. DECANI

ET PATRONI & PRAESIDENTIS SUI OMNI

ET SOCIORUM ET ALIORUM

PRO LICENTIA

STUDENTIS IN ARTE MEDICAE HONORIS, JURISDICT. & PRIVILEGII

LEGATIONIS

AD AUSTRIAM

HONORIS CAUSA & PRAESIDIUM

PUBLICAE VENTILATIONIS PROPOSI

ERNESTI CHRISTIANI STAHLI

ET ALII

HAEC MADERBURGAE

LITERIS CHRISTIANI FRENCKELII ACAD. TYPOGR.





PROOEMIUM.



Citisimè certe solertissimus instaurator Medicinæ, Hippocrates, rejicit illos, qui à priori, ac velut absolute, ut in scholis loquuntur, quid sit Homo, & quomodo primum factus atque constructus sit, ad medicinam scitu

maxime necessarium esse venditent: Verba ejus sunt, *Tractatu de prisca Medicina: Dicunt autem & Medici quidam & Sophista, quasi non possit medicinam cognoscere, quisquis non cognitum habeat, quid sit Homo, quomodo primum factus, & constructus sit. Ego verò, quæcunque ita, sive à Sophista, sive à Medico, proponuntur aut scribuntur, de NATURA, minùs convenire arti Medicæ existimo, quam pistoriæ. Statuo verò, quod aliquid certum de NATURA cognoscere, non aliunde liberum atque integrum sit, quam ex ipsa medicina: Et hoc ipsum tunc demum condisci possit, quando quis universam Medicinam recte comprehenderit, seu complexus sit. Unde etiam ipso tractatu huic negotio, nempe Naturæ humanæ proprie destinato, ab ipso limine monet: Quod, qui de Natura humana aliter differentes audire consueverit, quam quantum ad artem medicam at-*

tineat, illi non accommodata futura sit sua, Hippocratis, de hoc negotio Dissertatio. Ubi quidem, cum etiam vetus parcemia medica notissima sit, quod ubi Physicus desinit, ibi Medicus incipiat, (Physicus in theoriæ cum praxi veluti confiniis, Medicus ab hac ipsa Praxi reciprocè ad theoriam, progrediendo) optandum fane jam dudum fuisset, ut hanc rem, & si non sensum litteralem, intentionem tamen atque vim harum Hippocratis assertionum, probe perpendissent, non solum Medici, sed etiam illi, qui Hippocratis ætate Sophistarum nomine veniebant. Ita enim æque Medici inanibus, ad artem suam non pertinentibus, historiis atque quæstionibus, seriam artis suæ disciplinam non solvissent: ac Philosophi, à rebus physicis simplicissimis, ad laboriosè structas, fruendas, fruendas, utendas, machinas Organicas, progressum non fecissent, adeoque falcem in messem penitus alienam non immisissent. Cum verò factum infectum fieri nequeat, & ferè nihil procacius receptetur, & pervicacius sustentetur, quam mali mores; frustra sit harum rerum emendationes, inanibus votis occupasse: Comittenda potius res temporis, & expectandum, donec male fundatæ opiniones tandem displiceant, & propria sponte abrogentur, atque ipsis forte substituantur, non tam solum aliæ, quam meliores: ne semper odiosum illud rerum humanarum fatum, etiam in Scientia, meritisimo jure immutabili habenda, prævaleat: jam cras hesternum præterit, ecce aliud cras: i. e. semper aliquid in crastinum arripiatur, & crastino iterum aliud, iterum in crastinum. Nihil profectò inde consultius est, quam laudatissimi nostri Senis verum atque solidum consilium, ut non ab opinionibus incertis atque fluxis, sed ab Experientia, firmâ & constante

te

te, initium faciamus, & rerum quæ sunt, & ut revera sunt, Theoriam, sive scientificam considerationem, potius ineamus, quam contrà, ab opinionibus plausibilibus, necessariam aliquam existentiam rerum ipsarum talium, & ut talem, inferre laboremus. E qua perversa methodo, ab annis circiter 30. magna clades, non solum Theoriæ medicæ, sed omnino ipsi Praxi dogmaticæ, manifestissime illata est. Non *ἀτόπως* hæc præmonemus, ubi de AFFECTIBUS OCULORUM SECUNDUM GENERA agere, nobiscum constituimus. Nota est Veterum quorundam in hoc negotio *ἀγγελολογία*, adeo, ut ex illis curiosius censum agens solius oculi ægritudinum, vix credendum, de tam exiguo membro, passionum atque læsionum numerum confecerit. Cum verò harum aliquæ Medicam considerationem nec exigant æquè, nec admittant: dispersus etiam atque confusus ordo enumerationis atque tractationis, tam secundum portionem Oculi verè affectam, quam secundum dignitatem totius læsionis, hinc inde suos patiatur manes: placuit nobis, potius ab ipsa constitutione oculi ejusque partium, tractationem hanc ordiri, & quid his evenire non magis possit, quam soleat, perpendere atque perlustrare. Faciemus hoc itaque DISSERTATIONE INAUGURALI, de OCULORUM AFFECTIBUS SECUNDUM GENERA: Ubi præprimis illud agemus, ut quæ cuilibet parti oculorum, imprimis tamen propriæ, insignia vitia accidant, quæque ex illis Medicam considerationem atque tractationem, promptius aut difficilius, admittant, omiffa tamen omni superflua prolixitate, recenseamus, & eadem ratione Methodos iisdem secundum genera medendi, subjungamus.

Supplicamus autem Deo T. O. M. ut immensa sua bonitate cœptis hîc nostris benedicere velit, iisque & veritatem & utilitatem, in nostrum & proximi emolumentum, clementissimè largiri.

CAP. I.

De

Oculi Oeconomia.

Medica intentione de oculo dicturi, excusamus nos statim ab ipso initio, ab universâ oculi, tam *Physicâ*, quam *Mathematica* sive *Opticâ*, exquisitissima evolutione, præsertim cum illam rem jam complures alii, tam paulò antiquiorum, quam præcipuè recentiorum satis operosè tractaverint. Unde nobis quidem satis erit, *generaliores* physicos oculi affectus attendere; inprimis autem illos, qui familiarius *lesiones* aliquas experiri deprehenduntur: maximè omnium autem illos, qui *Medicis* consiliis atque auxiliis, ex omni aut aliqua parte, patent, atque obsequuntur.

Interim, neque ita strictis carceribus nos ipsos includimus, ut, posteaquam ad *αἰγιβολογίας* medicos fines transcendendum, nos non obstrictos esse volumus, propterea nihil absolute ex illo censu attingere, scrupulosè abstinere in nos recipiamus, sed potius, si quid horum series nostrarum considerationum ferat aut inferat, illud ipsum etiam delibare non dubitaturi sumus.

Sunt itaque partes, oculos ipsos *constituentes*, aliæ magis *communes*, aliæ *proprie*. *Communes*, sunt exteriora ejusdem partim *involucra*, partim *retinacula*, quæ oculum cum reliquis partibus copulant; aut, licet privatum etiam & proprium aliquem oculo seorsim usum præstent, non tamen ita absolute & unice hoc agunt, quin etiam alteri usui, inter oculum & partes vicinas *diviso*, interserviant. Horum generum sunt *Palpebræ*, *Tunica oculi adnata*, *pinguedo* bulbum oculi hinc inde circumdans; imò ex parte ipsi *musculi*, præcipuè *palpebram*, quin ipsum, etiam

etiam *oculum* versantes, & hinc inde moventes: *glandula* lachrymalis, *glandula* circa bulbum oculi, tam in homine, quam plerisque perfectioribus animalibus: *Ductus* tam breviores *aquosi*, quam longior atque capacior, ex oculo *in nasum* tendens, tandem *vasa* arteriosa, venosa, imo probabiliter aliqua etiam lymphatica: nec non *nervi*, musculis, glandulis, palpebris, subservientes &c. Qualium omnium similes partes, aliis etiam corporis membris subservire solent, adeoque oculis cum aliis membris generali intuitu *communes* existunt; neque nisi speciali *magnitudine*, *figura*, *insertione*, *situ*, cuilibet membro proprium usum exhibent. Non placet in hoc genere prolixius commemorare *offesas* partes, *orbitam* ipsam oculi constituentes; nisi quod tum viciniae ratione tum propioris communicationis consensu, oculis praedictum aliquod afferre, & labem affricare atque communicare possint: quale quid interdum evenire observatur, è *dentium* caninorum violentiore evulsione, à qua cum aliquando ipsis *oculis* pathemata aliqua eveniant, occasionem sumit vulgus, dentes hosce *ocularium* nomine notandi.

Propria magis oculis partes, sunt *tunica* bulbum, oculi immediate constituentes, *Cornea* & *sclerotica*, *Choroides* & *uvea* & *Arachnoïdes* sive *retina*; Quibus *crystallini* humoris involutum tenerrimum annumerare si libet, licet. Dehinc *propria* oculis, & *quantitate* tali, & *qualitate* maxime peculiari, & *situ* speciali, imo & *constantia* perenni, sunt ita dicti *Humores*; *aqueus*, *crystallinus*, *vitreus*. Posthæc omnia tandem, ingens ille plexus *nervosus*, quia proprie atque unicè oculis debetur, *Opticus* propterea dictus.

Partium harum varia institui potest consideratio, è quibus prima merito fuerit, ut spectetur ipsarum *consistentia*; ubi aliae *molliores*, aliae *densiores*; aliae *sanguisuae*, aliae *exsanguis*: aliae humorum influxui atque transfluxui dicatae, atque *perviae*, aliae magis *scessentes*: aliae *diaphanae*, aliae nequaquam, observantur. *Secundo*, spectari debent ejusmodi partes, ratione *situs* sui, æque

atque actus & usus, vel *proprii* magis vel evidentius *socii*, & cum aliis concurrentis: idque *tertio*, tum *activè*, quatenus una pars alteram hac ratione iuvare atque sublevare debet: tum *passivè*, quatenus una pars alteri damnum aliquod afferre, affricare, communicare potest. Quæ distinctiones, aut, potius *divisiones*, hunc usum nobis præstare poterunt, ut ex illis *occasiones*, & ipsos *modos*, sive magis formales rationes læsionum oculorum, in aliquas classes redigere valeamus, de quo negotio statim agemus.

CAP. II.

De,

Affectuum oculorum summis generibus.

Quemadmodum ad memoriam nudam, *historicam*, plurimum conferre videtur enumeratio morborum secundum *loca* & *partes* quibus inhaerent; ita ad memoriam sive manuductionem magis *Therapeutico-practicam*, facere nobis videtur, consideratio morborum potius secundum *internam* sui ipsorum *constitutionem*: cuius generis, indolis, census, existant, in quacunque demum parte stabulantur.

Ad hanc morborum constitutionem cognoscendam, pertinent considerationes illæ *consistentiæ* partium, & *connexionis* earum, quam sub finem præcedentis capituli indigitavimus. Ita enim, primò, partes *molles*, *duritiem*, *rigiditatem*, densitatem subire possunt; *dure*, *remolitionem*: quorum prius subinde contingit *humiditatis*, mollitiem largientis, subductione atque desiccatione: posterius, contrà humiditatis insolitæ, nimie inhibitione. Secundo, partes *spongiosæ*, porosæ, permeabiles, *obstruuntur*, suffercuntur: Porò, partes *sanguinis* com meatui patentes, *inflammantur*, *suppurantur*: *seri* atque lymphæ *ferosæ*, transitui expositæ, *tumescunt*, *ulcerantur*, eroduntur par-



partes inter se non nisi *contiguae*, connectuntur, & mutuò *coalescunt*: *Continue* & inter se arctius nexæ, ab hoc ipso nexu dimoventur. *Diaphanæ* partes *obscurantur*; *Aphanæ* *perspicue* redduntur: *meatus* pervii atque perflui obstruuntur; *obtecti* aperiuntur. *Situs* denique ordinarius defleat atque distorqueatur: *motus* debitus aufertur, aut insolitus excitatur atque inducitur: *moles* partium excrescit, textura luxuriante: *sensus*, in organis ejus immediatis, labascit, imò *deficit*: aliquando *increbescit*, ac velut excedit.

Ad hæc utique genera, sicut plerique omnes alii morbi, quarumcunque corporis partium referri possunt; ita spectant ad eadem utique etiam ipsæ affectiones *oculorum* quæcunque: unde quidem in recensione nostra hanc ipsam methodum sequemur.

Quod itaque *conssistentiam*, partium oculum constituentium atque involventium, concernit; paulo rarius quidem, mollium illius portionum talis *induratio* atque *rigor* subnascitur, qui insignem considerationem mereatur: nisi quod in acutis morbis oculi interdum sicciore conspiciantur: palpebrarum enim verrucas, quibusdam hominibus familiares huc trahere, vix licuerit: & textum aliquod p. n. subtile, membranulæ nomen non æque promerens, *Cataracta*, tandem eam *duritiem*, nancisci observetur, ut etiam frangi potius rudiore tractatione, quam rumpi aut lacerari videatur.

Frequentior hisce omnibus reverà est, *durioris* atque densioris partis, *Corneæ* tunicæ *emollitio*; ita, ut revera quasi imbibita altius humiditate, turgescat, extumescat, & ita consistentiam justo molliorem, *albidam*, quasi tenuissime spumidam, præ se ferat. Crebrius autem occurrit, totius bulbi oculi primò *Tabes*, & successive penitior *aridiva* seu exiccatio; qua tota, turgida, humida, mollis, ejus consistentia, velut disparet, evanescit, consumitur, resiccatur. Quale quid usu venire solet, in vehemente oculorum, aut alterutrius, illuvie catarrhali, à qua perpetuo madens oculus, si vel indefinenter, studio quo-

B dam

dam, clausus sæpe fit, vel actuali deligatione oclusus detineatur: Quod tunc talis Oculus, teste quotidiana experientia, diebus interdum haud ita multis, in tunicæ Corneæ substantia ita mollescat, ut illa hinc *turgida, opaca, albida*, imo aliquando, aut longiore temporis successu, *erosa* reperiatur: ut effuso, ad minimum ex parte maxima, *aqueo humore, crystallinus* per erosum illud foraminulum, emicare, imo *extuberare* conspiciatur.

A partium oculi porosiorum *suffarctu*, oriuntur diversi earundem *tumores*; A *palpebrarum* humida inflatione, ad totius usq; *bulbi* distensionem atque *prominentiam* insignem. Referendi ad hunc censum sunt *tumores & infarctus particulares, pustularum aut nodulorum* facie; hujusmodi modo in *palpebrarum* latiore parte, modo in eorundem *limbibus* oriuntur: aliquando *pallidiores*, aliquando & ultimo præsertim, *rubicundum* colorem præ se ferentes: jam in *externa* palpebræ superficie, jam in *interiore*, qua oculi bulbum tangit, hærentes.

Partes oculi *sanguinis* intimiori ingressui patentes, extraordinario hujus infarctu atque stasi correptæ, *Inflammationes* experiri haud raro solent. Unde non solum *rubores* oculorum, *palpebrarum* videlicet, æquè atque ipsius tunicæ *adnatæ*; quorum quidem valde frequenter unus sine altero, imprimis *primus sine posteriore*, deprehenditur: sed etiam actuales ruborum horum inflammatoriorum *suppurationes*: unde quidem in palpebris, *pustule* hujusmodi suppurascentes, in oculo ipso, & imprimis in confinio tunicæ adnatæ cum *Corneâ*, Hypopyon, oriri solet.

Ex *sanguine* oculi partes, humorum *seroso-salivalem* atque *lymphaticum* com meatui addictæ, laborant modo nimio affluxu & *instuxu*; modò impedito *transfluxu*: modo denique abundante *effluxu*: ultimò nascente corruptione *ulcerosa*, & hinc *erosione*. Habent horum aliqua non rarò mutuam conspirationem atque *dependentiam*, ubi v. g. ab *erosione* glandulæ sive carun-

runculæ lacrymalis, postea perpetuus *effluxus* nimius lacrymalis lymphæ nascitur: alibi verò, à diuturniore, aut acrioris talis liquoris, *affluxu*, & *ulceratio* illa, sive superficialis *erosio* atque abrasio, & tunc demum continua illa *manatio*, sese invicem excipiunt. Sicut etiam ab ejusmodi, modo *suppurationibus*, modo *ulcerationibus*, ipsæ oculorum *tunica*, imprimis *adnata*, tandem etiam *cornea*, violari solent.

Sequitur propemodùm hosce, modo *purulentos*, modo *ulcerosos* affectus, palpebras & oculum alternis, aut mutuò afficientes, *palpebra* cum oculi tunica adnata, aut palpebrarum extremarum, mutuus *coalitus*.

Arctius inter sese cohærentium, aut propiùs sibi mutuò admotarum atque respondentium partium *dimotio*, sicut haud ita rarò evenit, in palpebrarum *inversione* atque *retractione*; ita haud sanè exiguam partem absolvere videtur, in formandis initiiis *Cataractæ*: ubi D. D. Præses plus simplici vice observavit, subnascentibus hujus mali rudimentis, veluti prælusisse evidentem quandam, filamentorum *iridem* oculi cum humore vitreo atque crystallino connectentium, veluti secessionem è situ suo: adeò, ut ordinariè *iridis* hujus admodum interdum, interpolata hinc appareat constitutio, & multis veluti *maculis* femi pellucidis, præter solitum distincta.

Cum in oculo *interiore*, præ omnibus aliis Corporis partibus, *diaphana* quædam substantia, nempe vulgò ita dicti *Humores*, *aqueus*, *crystallinus*, *vitreus*, adsint; evenit hisce interdum *obscuratio* aliqua. Uti, quando *textum* quoddam reticulare, sed magis magisque densum atque albidum, in regione humoris *aquei* colligitur; *Cataracta*. Aut exterius, super ipsa tunica *corneâ*, cujus minus diffusam labem nostrates *ein Blümchen auf dem Auge* appellant. Aut *pustulâ*, vel è pustula non discussâ, sed solum exsiccata, *macula* crassa, tunicam *corneam*, occupante: vel ipsa tunicâ *corneâ* ita remollitâ, ut turgida, alba, veluti spumida, compareat. Sine materiæ aliqua corruptione, solius *toni* tensionis sive pressionis oculorum, vitio,

flacciditate, inquam, motus hujusmodi, prognascitur *turbidus* ille, *albidus*, & veluti *glaucus*, humorum oculi aspectus, quem vulgò *gebrochene Augen* appellant. Evenit hoc accidens præcipuè moribundis; interim conspiciendum etiam, sed transitorio solum effectu, est, in hominibus è profundo somno ita evocatis, ut oculos quidem aperiant, & veluti furrigant, sed tamen nondum reverà vigiles facti, ad alacritatem sensuum atq; motuum redierint.

Aphanarum partium, ad *diaphaneitatem* reductarum, rariora sunt exempla, nisi quod ante dictæ illæ, ex iride *caesia*, in nigrum abeuntes *macule*, præsertim per certas veluti plagulas distributæ, in *Cataractarum* plerarumque initiis, ad hunc censum pertinere videantur :

Meatus ad oculum pertinentes aliqui pervii, obstruuntur tumoribus, cicatricibus: interdum *exarescentia* nuda, in oculi contabescentiâ atque *aridurâ*. *Obtecti* aperiuntur, & ad fluxum atque manationem perpetuam perducuntur, v.g. in *glandule* lacrymalis arrosione, & *lippitudine* hinc pullulante.

Situs aliquarum, aut præcipuarum, oculi partium, præcipue *motui* ejus inservientium, muscolorum, mutatur fatis frequenter, unde varii *Strabismi*, palpebrarum *detorsiones*, imò totius oculi *procidencia* ingenere: humoris verò *CrySTALLINI* emissio per foraminulum *Corneæ* inflidum, aut erodendo illatum. Sicut etiam non raro per longam aut multiplicem assuesactionem vitrorum opticorum, *Telescopiorum*, aut nimis propinquam applicationem oculorum, ad exiguos præcipuè typos, talis mutatio *situs* humoris crySTALLINI, & ipsius tunicæ Choroidis, foramine suo pupillam formantis, induci solet, ut in posterum vix amplius restitui valeat.

Pertinet sanè hic idem postremus affectus, etiam ad defectum *Motus* debiti; siquidem aliàs pupilla, sive potius tunica illam constituens, ita mobilis esse debet, ut pro diversa magnitudine *luminis*, & imprimis *distantiâ* objectorum, convenienter intendi aut restringi possit: quæ movendi promptitudo & *angl-*



inversæ, modo dictâ ratione, magna ex parte fatiscit. Deinde etiam *palpebrarum* liber motus imminuitur modò, modo tollitur; jam *inversione* palpebræ, jam *musculorum* illam moventium labefactione irreparabili: cujusmodi exempla plura occurrunt. *Insolitus* e contrâ motus, jam plane *nictatorius*; jam *subsultatorius* in una palpebra, qui obtingit non ita rarò, levi quodam *spasifico* motu.

Reliquis oculi partibus rariùs contingit luxurians aliqua, aut fungosa *excreſcentia*; præter carunculam lacrymalem; cuius ut aliàs non ita rarissimè obtingunt protuberantiæ, ita una aut altera vice, stupenda ejusdem excreſcentia fungosa observata est, cujus exemplar fiſtit, *Experientissimi* *Observationum* chirurgicarum scriptoris, *Fabricii Hildani*, historia ipsa prima, *Centuriæ primæ*. Excreſcit similiter interdum *Tunicacea*, talis substantia, quæ tamen aspectu communiter *pinguedinem* repræſentat, in tunica *adnata*, circa confinia *Cornææ*: quæ interdum ipsum visum, interdum motum oculorum, communissime vero bonam externam formam oculi, lædit ac pervertit.

Haud paulo frequentior, oculi deteriùs habentis affectus, est *sensationis* totius vitium; quo, non tam evidente quocunque *organorum* ipsorum vitio, quam *intimioribus* tenerrimis, *nervis* præcipuè *retinæ* tunicæ filamentis læsis, aut, rariore licet, casu, *humoribus* labem aliquam passis, visus totus *aufertur*, insigniter *obscuratur*, aut *hebescit*: aut intercurrentibus *maculis* plus minus turbatur, vel incommoda aliqua sentit. Aut, licet in lumine exquisitiore sic factis benè habere appareat, deficit ad lumen minus, cujus exemplar constituit *Nyctalopia*. E contra increbescit aliquando, quamvis rarissime, universus sensus visus, ut etiam *nocturnis* in tenebris, patientes non, minùs quam sub aurora, videant; frequentissime vero occurrit *sensibilitas* visus, ut insigne lumen oculis permolestum evadat, unde non solum *dolor* oculorum, sed subinde etiam per consensum, ipsi-

us *Capitis*, *Lippitudo*, *affluxus* modo *Catarrhalis*, modo *inflammatorius*, imo aliquando plenior *Myopia*, inde nascatur.

Ad has quidem tribus affectus universos, qui oculis, & illorum, strictius dictorum, partibus eveniunt, pertinere atque referri debere, præcipuè qui medicam considerationem admittunt, pro certo habemus.

CAP. III.

De

Præcipuis, præcipuè Medicam
Considerationem magis admit-
tentibus, causis affectuum
Oculorum.

CUm modo recensuerimus *classes & genera* affectuum, oculorum, proximum erit dispicere de *causis*, quas talibus effectibus ansam præbere, ratio & experientia confirmant. Ubi nimirum non tam exquisitè, ad minimum non ad eò prolixè, de *remotioribus* causis necesse fuerit sermonem instituere, quæ propioribus in effectum deducendis, inserviunt: sed suffecerit paucis illas indigitare.

Externæ videlicet multæ dantur causæ, oculi affectibus provocandis aptæ; quæ tamen omnes in eo conveniunt, ut sensibili plus minus partium *irritatione, vellicatione, rosione*, partim appulsu humorum non magis provocent, quam adjuvent: partim ipsi teneriori structuræ atque conformationi oculi vim afferant.

Prioris generis sunt varia *acria*, externo imprimis insultu, sensum molestum oculo incontinentia; tam de *salino*, quam *salino-sulphureo* censu: imò *pulverulenta*, & alia, partim *rigidiora* atque asperiora, partim actu *acuminata*, spiculorum atque spinarum subtilium genera. Ubi videlicet, à *sumis* acrioribus & salinis, jam halitibus, jam pulveribus, aut liquoribus, usque ad spinas

spinas infixas, insecta volatilia viva illapsa, variis plane modis, eadem res, nempe insignis *irritatio*, oculo conciliatur: imo aliquando, pro varietate insultus, etiam immediatè aliquid de tenerâ oculi *structura* dilaceratur, eroditur, colliquatur.

Irritationes hujusmodi, primò omnium magis immediatè sequitur *appulsus*, sive ut vulgo dicunt *affluxus* humorum; & illorum quidem, prout vel particula oculi magis immediate affecta, plus aut minus patet *sanguinis* affluxui; vel universa patientis constitutio, *sanguinei* habitus, aut *serosoris*, existit, jam magis *sanguislua*, *rubicunda*, *inflammatoria* stagnatione, magis *cruentorum*; vel *catarrhali*, aquosâ, aut *acriore* consistentia, magis *serosorum*.

Immensum quantum autem potest atque valet hoc loco *Assuetudo*, quando in patiente, si non æque immediate ad ipsos oculos, ad minimum *generalius* ad caput, aut specialius, ad organa *hemorrhagiæ* & *Coryzæ* exonerationi dicata, frequentius suscipitur compulsio seu *coacervatio*. In talibus enim oppidò quam familiaribus casibus, familiarissimè contingit, ut data leviore, quacunque tali occasione, non solum ad *caput* ingenere, sed & hinc ad *oculos* in specie, non solum *promptissimus*, sed etiam valdè *copiosus*, *affluxus* adornetur.

Hæc talis, inquam, & *congestio*, & *coacervatio* humorum talium circa *caput*, imò vero circa ipsos *oculos*, multorum *inflammatoriorum*, atque rubefactoriorum oculi vitiorum, quin denique *suppuratoriorum*, causa evadit: multorum etiam *serosorum*, manantium & madentium affectuum modò cum *acrimoniâ* urente atque rodente, modò sine eadem, aut sine insigni ejus *efficaciâ*.

Interim, proximo loco silentio prætermitti non debet, ipsarum etiam *solidarum* partium, imo particularum in his oris conditio; quarum videlicet plures *tunicæ*, aliquæ vero etiam *glandulose* texturæ existunt. Hanc vero utramque sequitur duplex illud jugis consequentiæ incommodum, 1.) Quod hujusmodi textura *languidè* ac difficulter *consolidetur*, aut resti-
tua-

tuatur: 2.) Quod interim quandiu unitas ejus soluta est, non cesset perpetuò, permeatus ejus ita hiantes, *humiditas* tenuior, *ferosa*, & pro reliqui corporis præsentè *dyscrasia*, *salsa*, indefinenter exsudare: quo actu, concurrente inprimis aëris ambientis alteratione, *lacerata* illa, quanta quanta demum superficies, ita *inquinatur*; ut, nisi ejusdem plena abstersio ac velut abrasio tandem obtineatur, in posterum absolute nulla *consolidatio*, adeoque *affluxus* & *effluxus* cohibitio, locum inveniant.

Porro in aliis quibusdam oculorum pathematibus, plurimum potest atque valet, *Vigoris* & *energie virium* ipsarum diuersum robur; Ubi quidem in prægressâ sensibiliore virium *jaçtura*, oculorum usum nimis intendere velle, non solum non consultum, sed etiam subinde præsentaneo effectu, & manifesto illo quidem, *noxium* deprehensum est. Valet hoc imprimis duplici in casu; nempe 1) in *hemorrhagiis copiosis* progressis; 2.) in morbis acutis cum diurnâ *inediâ*, *sigillis*, copiosis *sudoribus*, aut aliis fortibus & copiosis *evacuationibus*. His utrisque in casibus, longè consultius est, oculis, quoad ejus fieri potest, *parcere*; Quam paulò intensiore usu, nedum verò abusu, illos *fatigare*. Sicut enim haud infrequens est, ut sub ejusmodi circumstantiis, patientibus ipsi statim oculi velut obsequium abnuant, & ad optatam perspiciendi energiam, vix adigi possint; imo modò ploratu, modò molesto sensu, modo manifesto dolore, afficiuntur: ita è contra longè melius utique sibi prospiciunt, qui talibus temporibus oculorum irritamenta ad *lumen* usque *diurnum*, aut candelarum luculentiorum splendorem, amoliuntur.

Quæ *organicam* structuram partium Oculi magis immediate lædunt, incurrunt tantò evidentius in ipsos sensus, ad minimum paulo magis exercitatos. Ad quem posteriorem censum, referre licet incommoda, partim ab intempestivo usu, partim ab inconsiderato (v. g. in *solem* per tubum limpidum majorem inspiciendo, quo errore gravissimum vitium visui oblatum, imò scrobiculum Corneæ inustum esse, meminimus:) usu

usu *Telescopiorum*, der *Perspectiv* und *Zern*; *Gläser*; præpo-
stera arbitraria assuetudo, in *minima* ab oculis *distantiâ* sæpe &
multum legendi atq; scribendi: in luculentis *radiis solis*, libris
& chartis candidissimis, typis & litteris tenuissimis, uti: quam-
vis etiam aciem oculorum, deficiente justo lumine, diu mul-
tumque temere intendere, idem incommodum debilitationis
ipforum organorum post se trahere possit. Sicut etiam mi-
rificè oculis nocere deprehenditur, temeraria spectatio
nitidioris fulguris, præcipuè sub crepusculum aut ipsam
noctem.

Longe magis obviæ verò, rudi quoque sensui, sunt illæ
externæ læsiones, quæ quomodocunque *solvendo continuitatem*,
vulnerando, arrodendo, contundendo, adurendo, compun-
gendo &c. partes oculi violant.

Difficillima duo, sicut etiam gravissima, universi visus vi-
tia, *Cataracta*, & *Gutta Serena*, unde maximè ortuum suum du-
cant, minus adhuc exquisite dilucescit; Nisi quod in *Gutta Se-
rena*, de *obstructione* nervorum opticorum, denegato influxu
Spirituum, &c. dicitur. *Paralyodes* quidem aliquid subesse,
vix dubitare licuerit: Quam autem inspecie partem, imo par-
ticulam, tangat, ex eo tantò minus adumbrare licet, quoniam
sæpè, imo communiter, *Gutta Serena* prehensis, nihilofecius
oculus constanter illibatus manet; cum aliàs membris, *para-
lysi*, præcipuè in extantioris alicujus *nervi* functione, affectis,
vix idem status persistat, quin vel *turgidiora*, vel *flaccidiora*, imò
sensim *arida*, evadant. Nisi quidem hic attendenda veniat di-
stributio nervorum, *robore* sive *tono*, atque *motibus* oculi inter-
vientium, plane aliorum ab *optico* nervo: Quod etiam jure sic
attendi consentimus.

Longè vero impeditior est *Cataractæ* nativitas. Enimve-
ro ex *humore crasso* illam non temerè subnasci certissimum est,
cum *texturam*, & specialissimam ex partionem, exquisite in *La-
tum*, & quam minime in *profundum*, exhibeat atque sistat: Quo-
rum nihil ab ullâ affectione cujuscunque *humoris*, expectare li-
cuerit.

C

Quod

Quod verò utrorumque horum affectuum Theoriam, tanto magis difficilem reddit, est oppidò *rarus* utriusque *eventus*. Unde quidem frustra sæpe numero sunt practici, qui e visus, quantumlibet insignibus sæpe *debilitationibus*, promptè, modo *Cataractam*, modo *Guttam Serenam* ominari & comminari non dubitant. Quamvis enim *obscuritatem* imprimis oculorum, *augeſcente* ætate, faciliùs in cœcitatem, aut ad minimum intensiorem videndi hebetudinem transmigrare, non adeo infrequens: *Cataractam* tamen *veram*, inde nasci, omni modo rarius est, quam præcipuè vulgus illud *Operatorum Oculistarum* ut sese vocant, venditat: Sicut quidem illos satis frequenter, hoc iudicio & falli & fallere, rem intelligentibus satis innotescit.

Longinquiores, & hastenùs dictis viam demum sternentes, velut *occasionales* causas, recensere nimium foret. Tangimus brevissimis, eminentiores præsertim, è rebus œconomiae corporis quasi magis intrinsicis, inter quas recenseri meretur partim *plethora*, veluti magis ingenere: Quæ, concurrentibus aliis circumstantiis, oculum quacunq; ratione irritantibus, tanto promptiùs affluxum ad oculum promovet. *Specialior* verò est efficacia insignis, non solum immediate in *debilitando* visu, sed etiam in vitis circà oculorum materialem, præcipuè *humoralem*, constitutionem, *venerearum rerum* abusus, & floridioris spermaticæ substantiæ profusio: à quo quidem vitio, non solum ipsam oculorum *aciem* infringi, notum est: sed testatur etiam *Experientia*, quod *palpebrarum* omnino *rubores* & *livores*, sæpe ortum inde trahant: & *rubores* quidem, imo inflammationes, & ardores, in *viris* potissimum: *livor* autem in ambitu oculi, præcipuè sub inferiore palpebra, in utroque, magis tamen *fœminino*, sexu.

De *Vene sectione* non æquè mirum est, hodiernis temporibus adhuc aliquos reperiri, qui asserant, *Vene sectionibus* visum, magnopere debilitari; cum hoc ævum feracissimum sit innumerarum tam novarum, quam ex antiquitate recoctarum *tra-*
ditio-

ditionum. *Antiquiorem* verò jam jam esse hanc opinione m. præter adhuc remotiora exempla, lepido casu reperire licet apud *Borallum*; ubi vir *septuagenario* major, inde à juventute venæsectionibus affluctus, & commodissimè, imo pancreaticè, sub illarum usu habens, neque nisi illis neglectis morbis tentatus, recenset, sibi ante multos annos, à practicis medicis prædictum fuisse: ipsum venæsectionibus, & *visus* maximam *debitatem*, imo *cæcitatem*, invitaturum esse, & universæ durationi ætatis seu *vivacitatis* suæ, plurimum detracturum: se vero spreto illorum omine, consuetudini suæ, moderatè, indulgissè, & ad hoc tempus non solum *vivere*, & commode quidem, cum omnes illi *Medici*, qui hoc omen ipsi obtulissent, antè plures jam annos *mortui* sint: sed etiam hac ipsa provectâ ætate, absque ullo *perspicillorum* adminiculo, exactè *videre* atque cernere. Cujus profectò rei exempla non solum *positiva*, magno numero suppetunt: sed non ita pauca etiam *privativa*, ubi videlicet ex affectibus oculis molestiam parientibus, assuescèntia *scarificatio*, & utiliter per plusculum temporis *continuata*, posthac denique temerè *neglecta*, promptè pristina oculorum pathemata, revocat.

Unum intactum præterire non placet, quod videlicet inter alia haud dissimilia, & numerosissima quidem illa, Medicinæ præposterè rationalis, errata, connumeranda videatur illa traditio, quasi *allium* & *Cepa*, etiam *interno* usu oculis noceant; cum *externo*, acrioris sui halitus contactu, hoc faciant. Cui certè rei experientia quotidiana plurimum reclamatur, cum *cepe*, non solum satis vulgata experientia maritima, moderato usu, bonum *antiscorbuticum*, & *anticatarrhale*, condimentum existant: sed tanto magis *allium*, Hungaris, Polonis, Iudæis, maximo usu familiare, nihil horum *optbalmicorum* incommodorum ipsis inferat.

Vigilie, quanquam juxtà antiquum versum plus quam omnia alia oculis præjudicii afferre asserantur; minimè tamen ita absolutè hoc facere observantur; nisi quidem immediatè,



penitùs insolitæ, *enormes* statim evenerint: aut *lumen* in super
 insolitum & excessivum oculis ingesserint. A quibus qui-
 dem circumstantiis, magis ferè exteriora pathemata, *sensibili-
 ras, ardor, fluxus* oculorum, seu *lippitudo*, ad minimum tempo-
 raria, subnasci solet, quàm *intimior* aliquis visus ipsius de-
 fectus.

CAP. IV.

De

Diagnosi & Prognosi Affectuum
 Oculorum.

CUM modo egerimus de affectuum oculorum in genere,
 præcipuis *Causis*, proximum est suppeditare *Dignotio-
 nem* affectuum ocularium, non magis *simplicium*, aut ab-
 solutorum, idiopathicorum, quam *complicatorum*, mu-
 tuo dependentium, consensualium *δευτέρο παθῶν*: cui sub-
 jungemus *Prognosin* secundum hanc utramque conditio-
 nem.

Placet autem circa *Causas* affectuum oculorū rariores, ad-
 huc breviter meminisse accidentis cujusdam, quod diversis
 annorum numeris (licet non æquè stas) observatum est *ovil-
 lo* generi frequens evenisse, ut videlicet in *cavitatibus* illis cra-
 nii, supra orbitam *oculi*, in hoc animalium genere admodum
 capacibus, ingens *vermis*, anferino calamo nihil cedens crassitie,
 stabulans atque delitescens reperiretur. Quale quid tamen
 hisce animalibus, præ aliis longe plurimis, nedum ipso homine,
 proprium penitùs esse, innuere videtur proventus ille nume-
 roforum grandium, & plane peculiaris conformationis vermi-
 um, *limaci*, aut *birudini* potiùs, plurimum similium, vulgò *En-
 qerling*/ qui non solum sub cute horum animalium, sed in ipsis
 intimis visceribus, ipso videlicet *hepate*, stabulari subinde re-
 periuntur: sicut in *Canibus*, præ aliis animalibus, sæpiuscule in
 ipso

ipſo fundo ventriculi, unus aut alter *nodus*, *phaſeoli* majoris ſæpè quantitatem æquans, reperitur, foramine in cavitate ventriculi patens, intus vero cavitate capaci inſtructus, quam interdum unus major, ſæpius numero plures mediocres, *lumbrici* inhabitant. Sed hoc quidem in tranſitu: Præcipuè cum Vermes illos ſuprà orbitam oculi, *oculis* ipſis aliquid detrimenti inſignis attuliſſe, minus conſtet.

Diagnofis ipſius oculi propiorum vitiorum, cum ferè *ſenſum* teſtimonio ſimpliciore nitatur, non videtur in noſtra tractatione generaliore, multum negotii ſecundum ſingulas ſpecies nobis parere debere, cum de reliquo & *κατὰ γένη*, vix quenquam fallant aut fugiant, *rubor* ſimplex, & cum *ardore*, conjunctus atque æſtu, *inflammatorius*; fluxus, *manatio*, ploratio, mador perpetuus: viſibilis *arroſio*, colliquatio, ulceratio, eroſio: partium pellucidarum *obſcuratio*, vel contra: *ſuppurationis*, veſiculæ, cicatrices, puſtulæ, & a talibus ruptis reſiduæ rugoſæ, albicantes partem pellucidam vitiantes, cum reliquiis materiæ non exquiſitè evacuatae, vel ob interverſam utique, exquiſitiorem contiguitatem amiſſa diaphaneitate, albicantes, & maculam veluti parti contiguæ inurentes: tanto magis *Ungues*, *albugines*, *panni*, *puſtula* grandior, totam Corneam occupans, ſucceſſivè qualiſ deficcata, & conſtanter in eodem ſtatu poſt hac perſiſtens: imò ipſa *Gutta Serena*, aſpectu præcipuè dignoſcitur, quando exquiſitiore contemplatione, nihil in oculo conſpici poteſt, quod vel leviffimæ obſcuritati, nedum plenius illis tenebris, & viſus privationi, anſam præbere poſſet: unde potius oculus, ex univerſis reliquis circumſtantiis, extrinſecus, abſolute ſibi conſtans atque fanus videtur.

E contra dependentes illæ *conſenſuales* viſus læſiones, ſicut fruſtrà pro *abſolutis* tractarentur, ita tanto magis diſcendæ ab iſtis ſunt.

Reverà enim conſiderationem longe maximam meretur, illa conditio, per experientiam exactiſſimè comprobata, quod aliqui, & ſine dubio etiam complures, *ſpeciales* affectus den-



tur, aliquando quidem *ιδιοπαθικῶς* corpori molesti, aliquando vero etiam *συμπαθεικῶς* cooridentes, tanta Therapiae diversitate intercedente, ut medicatio uni, *idiopathico* ejusmodi affectui satisfaciens, alteri, *sympathetico*, absolute nihil conducatur: Cujus indolis est experimentum ad Odontalgiam *Idiopathicam*, non modo praesentissimè, sed etiam constantissimè profligandam, notissimæ efficaciae: Quod è contra, in *Sympathica*, *Hemicranicâ* Odontalgia, absolutissimè nihil efficit aut prodest: sicut etiam specificum remedium D. D. Præsidis, ad *Epilepsiam* veram *idiopathicam*, certissimi & constantissimi effectus, ad *symptomaticas* Convulsiones tam parum prodest, ut nulla comparatio ad alteram illam praesentissimam efficaciam hinc suppetat.

Habet autem hujusmodi *Diagnos*, tanto majorem necessitatem in oculorum vitiis magis *superficialibus*, sive *externas* oculorum partes afficientibus, ut ab *intimioribus* discernantur; cum quotidiana experientia nimio plus confirmet, oriri, ex neglectu debitarum hujusmodi considerationum, aberrationes in methodo medendi sæpe insignes: dum v. g. remedia, pure *abslergentia*, aut leniter *septica* atque *Cathartica*, *superficialium* oculi partium affectibus quibusdam convenientia, *intimioribus* etiam passionibus, inutiliter destinantur; sicuti de *fistulâ* ita vulgò dictâ *lacrymali* quoque, sæpenumerò verum hoc esse D. D. Præses in Programmate observat.

Unde quidem *intimiorum* oculi, & partium eius, vitiorum, tanto circumspectior instituenda est dignotio; quæ tamen utique in primis *visus* ope à Medico dignosci debent: cum satis rarò & pro judicii diverso habitu sæpe fallaci eventu, integrum sit, *tactu* hic aliquid dignoscere. Unde rideri interdum merentur circumforanei operatores, qui de hebetudine aliqua visus, nullo in externo oculi habitu, aut pupillæ constitutione conspicuo minimo decolorationis vitio, clausis palpebris oculum *digitis* premunt atque versant, & de iniciis *Cataractæ* pronunciare non erubescunt: Cum hoc, & sane
pro

pro iudicii modulo nimis quam incertum, scrutinium, propriè foli *confirmata Cataractæ* ejusque ultimæ & deploratæ denſitati atque veluti *duritie* explorandæ, deſtinatum ſit.

E viſus autem ipſius patientis deviationibus, multæ utique circumſtantiæ diagnoſibus inſerviunt, & illæ ſæpenumero plane peculiareſ. Ita enim v. g. Quidam *Cataractæ* rudimentis, nonniſi attentiffimo aſpectui pateſcentibus, affectus, quamvis res, altitudini Capitis ſui atque oculorum, horizontaliter objectas ſatis rectè diſtingueret; niſi quod veluti levem, nebulam, aut tenerrimum velum oculis obverſari ſeu prætexi videretur: res indeclivi poſitæ, adeoque ipſum ſolum, altiſ quam revera erat eminere ipſi videbantur: Ita, ut reverà acclivi poſitu eſſe omnia talia ipſi appareret: eouſque quidem, ut ſubinde in ambulando altiſ attollendo pedes, quaſi ad aſcendendum, hinc hallucinaretur. Ita alium hujusmodi, jam admodum conſpicua Cataractæ conſiſtentia, ita excœcatum, ut vix oſtia domuum agnoſceret, imo albedinis à reliquis coloribus leviffimam diſtinctionem aſſequeretur, mirati fumus, *caruleum* colorem, etiam latis intenſum & ſub obſcurum, promptè dignoſcere.

Interim univerſam, etiam accuratiſſimam oculorum inſpectionem fruſtraneam fore, niſi *anatomicâ* ſtructuræ oculi notitia concurrat, quemlibet ſatis intellecturum eſſe conſidimus. *Inflammationum* vero, *Ulcerationum*, *remollitionis*, *arroſionis*, diagnoſis, è propriis harum rerum circumſtantiis, ita cuilibet, nota eſſe debet, ut ubicunque eveniant adeoque etiam in oculo, promptè pro eo quod ſunt agnoſci poſſint.

PROGNOSIN affectuum oculorum *ingenere*, quod attinet generaliffimè utique verum eſt, quod læſiones *oculi* atque *viſus* graviores quæcunque, diſſicillimæ curationis, atque reſtitutionis exiſtant. Sicut enim illæ oculi partes, quæ propriè & magis immediatè ad actum videndi concurrunt, ad unum omnes ejus indolis atque texturæ ſunt, ut *arte* abſolutè nulla, *ſpontè* vero *diſſicillima* reſtaurari poſſint, aut ſoleant; fieri non pot-
eſt

est, quin si insignem læsionem his evenire contingat, nonnisi dubiæ admodum atque difficilis restitutionis prognosis, locum inveniat.

Unde quidem in *debilitatione* visus, ipsius *energia*, aut *nervi optici* atque *tunicæ retinæ*, vicio, communiter nimis quam parum præsidii est in *arte*; imprimis, si defectus hi vel *repentino* quodam impetu coorti, remedia pertinaciter contemnant atque aspernentur: vel jam longo *tempore*, & *quietis* successibus *obfirmati*, quasi præposterè, aut sanè post liminiò demum oppugnari debeant.

Deinde *difficilis* tractationis & impediti *eventus* Prognosis, merentur *tunicarum* & *humorum* oculo *propriorum* insignia vitia. Quandoquidem non solum *Corneam* tunicam, reverà in *textura* sua lætà, difficillime restaurari atque exquisite restitui observamus: sed deprehendimus etiam, non ita difficulter fieri posse, ut etiam ab ipsis *remediis*, vel justò *acrioribus*, vel penetrantius *septicis*, vel *pingvibus*, nimio usu adhibitis, tunica hæc modo *arrodatur*, modo *remolliatur*, modo occasio ad minimum talibus ejus læsionibus præbeatur & invitetur.

Difficilioris autem, quàm in contraria constitutione, prognoseos, sunt omnia vitia oculos *directè* & *idiopadicè*, afficientia; præ illis, quæ *secundariò*, consensu aliunde nato, & ex accidenti, oculos afficiunt.

Quamvis enim aliquando fieri possit, ut etiam repenti ingruens gravissimum aliquod malum oculis eveniat, orto effectus hujus initio atque occasione ab aliis *distis* sæpe numero & *ignobilioribus*, partibus, uti v. g. exempla prostant *caecitatis*, ex *ulcerum* diuturniorum incurribus, occlusionone: Sunt tamen reverà *rariores* multò hujusmodi casus, quam ut reliquæ frequentiori constitutioni (præcipuè si exceptione secludantur) præjudicium asferre possint: & valet etiam hæc observatio, de plerisque talibus ipsis gravibus eventibus, ut Tales, inquam, ejusmodi occasionibus succedentes, sæpenu-
merò in *leniendo*, *restituendo*, *curando*, tantam differentiam, ser-
vent,

vent, à similibus simpliciter & *idiopathicè* exortis, ut vel hoc ipso intuitu veritatem nostræ assertionis magis confirment, quam labefactent.

Tandem omnia & singula oculorum vitia, cum similibus, etiam in alias partes incidentibus, hoc habent *commune*, ut quò diutius tolerantur, eò *gravius* damnum inferant, in partibus imprimis adeò teneris. Ita enim *rubor* in *inflammationem*, hæc in *suppurationem* hujus reliquæ, aut aliæ *serosæ* diuturniores stases, in *ulcerationem*: hæc, & *acrium* humorū affluxus, in latiore[m] aut profundiore[m] *erosionem*, pergunt & progrediuntur. *Affluxus* & *effluxus*; diutius tolerati, facile in *Consuetudinē* abeunt; non solum receptivitat[is] ipsarum partium dispositione augescente, sed etiam promptioris *Motus* ad consuetum locum pervicaci recordatione, & frivolâ reassumptione.

Conformationis oculorum, seu partium ejus solidarum, insignia vitia, vix mediocriter, nedum in solidum reparari, certissimum est; imprimis propriarum.

Hebetudinem visus, ab ipsius *energiæ* à priori, aut partium, ejus efficacit[is] magis immediatè inservientium *labefactione*, profectam, *difficillimè* corrigi in *senioribus*, *difficiliter* in *junioribus*, nisi plane tenerioris adhuc ætatis, satis certum est. Quæ verò à *fatigatione* harum rerum, à posteriori oborta est, restitatur interdum, restituta quiete, & parcio[re] usus oculorum administratione, rerumque qui illum sensibilius alterant, moderatione aut abstinentia. Et hoc ipsum quoquè multò promptius & efficacius in *junioribus*, *vegetioribus*, quàm magis *efficitis*.

Non possumus autem, quin *Experientia* & *observatione* D. Præsidis multiplici subnixam *Prognosin* subjiciamus, de accidente visus minime raro aut insolito, sed bene multis hominibus familiari, nempè: *ut de reliquo quidem satis bene videant, in liquidum autem aërem, parietes candidos, chartam albam, fixius intuentes, imò etiam clauso benignè oculo, in aërem limpidò sole, serenum, aut parietem album hujus radiis illustratum, intuentes vel*

D

obver-



abversis, exiguas aliquas modò maculas, modo lineares, & ordinarie quidem, flexuosos, tractus, quasi vermem, extremis lineis, neque ipsis etiam valde obscuris, adumbratum, inter objectum atque oculum pendere aut versari, quadantenus sentiant, aut ita talia ipsis appareant.

Hujus rei valde solennis circumstantia est, quod, si obtutus exquisitè in idem veluti punctum v. g. objecti parietis, defixus teneatur, quod tunc apparens illa *macula* sensibilibiter *subsideat*, seu magis magisque *deorsum* prolabi sentiatur.

In hac constitutione, cum ordinariè tota oculi dispositio visibilis, nulla animadvertendâ labe aut nævo affecta compareat, colligunt non magis, quam præfagiunt communiter, Practici, quod hæc res rudimentis *Gutta serena* adscribenda sit, eamque hinc impendere ominantur: quo ipso malè fundato præfagio, sæpe numero non solum admodum sollicitos, atque timidos reddunt patientes; sed etiam ad *intempestivas* & prorsus *alienas* communiter, medicationes, earumque, cum nihil proficiant, frequentes repetitiones, copiosiores ingestiones, fortiores formulas atque species, & aliarum ex aliis tentationes, inducunt: ubi, cum oculus sensibile utique sit organum atque membrum, facillime fit, ut oculus hucusque exteriùs satis rectè constitutus, demum lædatur, supervacuo, intempestivo, alieno, usu medicamentorum, affectui nihil utilium, sed potiùs præpostera efficacîa, oculum demum molestantium imò lædentium.

Asserit etiam serio D. D. Præses, constare hoc sibi ex multiplici, atque adèd propria sui ipsius experientia, quod hic affectus, si modo reliqua Corporis œconomia sibi constet, & à frivolis ataxiis immunis seruetur, longe constantiùs in eodem habitu communissime persistat, quam ut eundem facile mutet, vix quidem in meliùs, sed sanè, neque facilè in deterius. Adeo ut exempla cognita habeat vera atque fida, ejusmodi affectus ad viginti annos, constanter & absolutè eundem statum servantis; quamvis diætâ minime scrupulosa, usus etiam

etiam oculorum non deses, rarus aut timidus, nulla eò perti-
nens medicatio, imò unus aut alter morbus, medio tanti tem-
poris spatio, intercessisset.

Illud notatu non indignum est, fieri interdum, ut in *Ju-
nioribus*, sanguini notabiliter *abundanti*, præcipue vero hujus
ventilationibus per narium hæmorrhagias affvetis, *macule hæ,*
crescente Luna non nihil augescere, & aliis quidem hoc facer-
in *ambitu*, alijs *obscuritate*, videantur: Quamvis communiter
utrumque ita comparatum sit, ut vix quidquam illorum in-
signiter sensibile, nisi admodum exquisitè attendentibus (&
nescias an non interdum præ aliqua sollicitudine exquisitus
quam putant videntibus) ipsis ita affectis, animadverti que-
at. Cæterum, sicuti cum *crescente* lunâ *augescere* videtur, ita
cum *decescente* etiam iterum iminui fatentur, ut univèrsum
totius hujus incommodi incrementum, nihil inde mali effe-
ctus sequatur.

Longè vero dispar est ratio, *obscurationis* visus, cum visi-
bili super *pupillam*, subter *Corneam* satis nitidam, *livore* concur-
rentis. Hic enim livor, tanquam verius *Cataracta* rudimen-
tum, solet magis magisque increbescere: quamvis hoc ipsum
etiam, tardius atque lenius, si iusta medicamenta *universalia*,
Catarrhalia, *Cathartica*, *affluxum* humorum divertentia, humo-
res abundantes minuentia, iusto *ordine*, iusto *tempore*, conve-
niente ad habitum patientis reliquum *proportione* doses & e-
nergia, usurpentur: contra vero, si hæc contrario modo fiant.
Interim *senescentibus* magis, quam *Junioribus*, hoc malum coori-
ri, certum est: cum *Gutta Serena*, magis ferè *Juvenibus* aut me-
diæ ætatis hominibus, imprimis *solitas* aliquas, sive artificiales
sive præternaturales, *evacuaciones* amittentibus vel omitenti-
bus obtingere observetur: præterea, quod supra etiam moni-
tum est, uti *Cataracta* ordinarie tarde atque *successive*; ita *Gutta*
Serena vix nõ absolutè semper simul & semel, & uno *jugi impetu*.

Imò vero antequam de *Prognosi* institutum sermonem
finiamus, sicuti jam ante diximus, quod *Junioribus* minore diffi-
cultate

eultate mediocria visus vitia in viam reducantur; Quæ propter etiam in hac ætate decentes & cuiilibet parti oculi, ad affectus speciei convenientes medicationes, prudenter & perite administrari debent: ita si his, (*iustis* inquam, & notæ ac *probata* efficaciam medicationibus) nullum levamen obtineatur, tantò peior hinc resultat *Prognosis*.

Neque vero oblivisci volumus *imminutionis* totius bulbi Oculi, à *Casu*, *ictu*, *contusione*, cum intercurrentibus, prægressis, concomitantibus variis sensibilibus seu *dolorificis* pathematibus: imprimis multo madore ac *ploratu* oculi, & insigni ad conspectum lucis molesto sensu: talis enim læsio atque mala constitutio, rarissime fit quin in *successivam tabem, exsiccationem, ariduram*, nihil interruptis progressibus transmigret.

CAP. V.

De,

Affectuum Oculorum Therapia
in genere.

THERAPIA oculorum, prout vel læsiones, jam indutas, vel causas harum *antecedentes* ac veluti *fomites*, respicit, dispares sæpe intuitus infert aut involvit, reverà tamen his intentionibus omninò absolvitur.

Illi nempe affectus, qui non *immediatè* in *oculum* ingruunt, à causis materialibus, vel purè extrinsecus adventitiis, sed *in ipso* oculo, occasionalium externarum causarum ope, subnatis; semper utique requirunt ut causæ ipsorum, aliunde è reliquo corpore *ad oculum* redundantes, & in *quantitate* sua & in *motu* suo corrigantur, præoccupentur, abigantur. Cum verò certum sit, confirmante experientia, quod huiusmodi affectuum, ab ejusmodi causis, ad oculum è reliquo corpore *redundantibus*, pendentium, insignis sit numerus; ita scilicet, ut licet non immediate redundantia, congestio, restagnatio, humorum circa oculum, affectus illos *formaliter* absolvat, *materialiter*

seriatim tamen illos utique inducat atque fusciret: Tanto majore studio atque circumspectione pensanda venit hæc indicatio, ut, quoties oculi affectus offertur, providè pensitetur, an illi immediatè, ut medici loquuntur, *curativè* obviam ire, & ejus rei felicem effectum sperare intergrum sit: an, vero potius initium facere oporteat, à *causarum* quarundam *antecedentium*, tanquam *fundamenti* atque *fomitis* subtractione, methodo quam scholæ medicæ *preservativam* appellare, confveverunt.

Sanè vero & in his, & variis aliis affectibus, in Praxi Medica tantam considerationem meretur hæc pensitatio, ut non solum exquisitè perspicere conveniat, ubi locum habeat hæc causarum materialium subtractione; sed etiam peritè dispicere, *qualem* locum mereatur, quo *ordine* vel ipsi insistendum sit, vel medicamenta illi *subordinanda*: quantum *momenti* ac *fiducie* pro affectu non modo *promptius*, sed etiam *constantius* tollendo, in hac præcipue intentione collocandum sit: & quantum, citrà talem processum, affectus magis formalis totam *curam* frustretur, eidem refragetur, aut sublato tantisper præfente ejus effectu, mox ad novum edendum, adeoque morbum *instaurandum*, tendat atque vergat.

Sicut enim, quod etiam alibi monitum memini à D. D. Præsidi, illi, qui methodum, justis indicationibus superstructam, veterum Prætorum, sine ratione, sola cæca Empiria, non æque sequuntur, quam sectantur, minus prudenter Evacuationes *universaliores*, causis *antecedentibus* ab antiquis destinatas, ita *absolutè*, nempe *ex formulâ*, in usum trahunt, ut, sine respectu an res postulet, tempus & morbi impetus admittat, opportunitas fradeat atque ferat, indifferenter & absolutè his processibus insistendum esse autument: quales hoc nomine etiam falsè ridet B. Waldschmid in monitis medicis circà Opium usum: Et videntur decepti esse illa veterum loquendi formula, quod *universalia* præmittenda esse, dicere sverint: ubi quidem per vocabulum *universalia*, intelligere videntur,

quasi methodus fit *universalis*: cum sensus formulæ saltem de Evacuatione, conjuncta intendum cum *alteratione, universalior*, ex *universo* ladifundio humorum, de *universa* quantitate, humorum ab universo motu humorum &c. loquatur. Ita, sano sensu, qui hic est, quem ultimis hæc verbis determinavimus, ubicunque talis *universalior* humorum *redundantia*, *universalior* humorum *Dyscrasia*; circa & propter *universam* *massam* humorum, certi *motus*, certi *decubitus*, certæ *restagnationes*, suscipiuntur, ibi non habet solum locum, sed omnino necessitatem, aut sane huic respondentem, longe maximam utilitatem, illa *universalior*, causæ *antecedentis*, imo interdum adminimum *occasionalis*, præoccupatio, & *ordine prima* consideratio atque tractatio.

Quantum hoc valeat in *Oculorum* quoque affectibus, testantur innumera exempla, variorum ejusmodi pathematum; quod postquam diu multumque variis magis immediate ac specificè *Ophthalmicis* medicamentis & medicationibus, frustra oppugnata fuerunt, tandem denique susceptâ assuetudine *Scarificationis*, non solum evanescent, & per multos etiam annos cessant: sed post longum etiam tempus, si subsidia talia, denuò contemnantur atque negligantur, pededentim, imò vero non ita rarò etiam uno impetu, denuò sese exerant.

Quantum autem momenti hæc res in nostris oculorum affectibus habere possit, possumus vel exemplo adumbrare, dum Medicus Practicus patienti de *Cephalalgico. Ophthalmicis*, passionibus conquerenti, remedium *Diaphoreticum*, cum præscripto ad ejus usum *regimine*, offert: Patiens, dereliquo etiam cacochymus, præscripto medici obtemperans, assumit hoc, & ad sudorem sese componit, eumque largum exsequitur: sed cum tali eventu, ut hinc in perfectam *cacitatem* seu *Gutram serenam*, sub hoc ipso sudore incidere: Reminiscente etiam de hinc Medico, (viro de reliquo & docto & perito, sed fortè quod in his antiquorum, ut hodiè audiunt, næniis, tantum momenti esse possit, nondum persuaso,) quod rationem hujus eventus

cus in omiffa præmiſſione uniuersaliorum alterantium & euacuantium, ponendam eſſe ipſemet arbitretur.

Ubicunque itaque talis ſtatus *abundantium turgentium, commotorum, facile commouendorum*, ad certam regionem congeri ſolitorum, humorum, in oculorum etiam affectibus ſeſe offert; ibi horum præcipua conſideratio atque juſtus reſpectus minime negligi debet aut poteſt.

Sanè vero, ſicut aphoriſmus, ille Hippocraticus 1. Aphor. 22. aureus prorfus & abſolutiſſime practicus: *Cœlis medicari & illa mouere conuenit, non cruda; neque in principiis, niſi turgeant: (μάλιστὰ δὲ) ut plurimum vero non turgent, de morbis acutis, de quibus maximæ parti talium ſententiarum Hippocraticarum ſermo eſt, peritiſſimè formatus eſt: adeò, ut ſane craſſo veluti modo contrà eundem impingant multi recentiorum, qui vehementibus ſuis emetico-Catharticis, & intempetiſtis fortibus diſphoreticis tentaminibus, aphoriſmi hujus autoritatem prætexere volunt, audaciſſimè contra clariffimum textum hic agere videantur, dum equidem allegant, quod etiam in principiis, ſi materia turgeat, mouenda ſeu euacuanda ſit: illud vero planè ſilentio prætereunt, quod ut plurimum non turgeat: adeoque rariffimus ipſorum auſis foret locus: Licet, inquam, in acutis omni modo hoc ita ſeſe habere videatur, atque deprehendatur: in chronicis tamen, diuturnis, aut recurrentibus, diuerſam rerum faciem eſſe, & ibi longe comuniſſimè humores *turgere*: (ſano ſenſu modo *quantitate*, modo *qualitate*;) eoque ipſo jam fufcitare, jam fouere malum, ipſo experientiaè teſtimonio quotidiano confirmatur.*

Diſpiciendum itaque in ejuſmodi oculorum affectibus, qui à talibus circumſtantiis foueri ſolent, an *plethora* & motus *hemorrhagici*: an reſtagnationes *sanguineo-lymphales* & *ſaliuales*, ſubſint, quibus *venæſectione, ſcarificatione, Hirudinibus, veſicatoriis, ſetaceo, lotione Capitis, frictione Capitis, Cucuphis, ſuffumigiis: purgationibus, laxationibus per ἐπιζωαζον, alui diuturna leniſſima mollitione, crurum frictionibus, pediluniis, imò fonticulis*

culis in malo magis inueterato, occurrere integrum fit. Horum enim si quicquam vel consultum videatur: vel, præsertim exprægressa diuturniore assuetudine, plane necessarium: dictabit sana ipsa ratio, quod illud in subsidium trahere atque usurpare necesse fuerit.

Sanè verò, quanta in his rebus efficacia fit *pedilauiorum*, maturè, & opportunè usurpatorum, imperitis nemo hominum facile pro dignitate persuaserit: sicut quidem etiam *scarificationis*, si alia medicationum genera nihil efficiant, sed potius magis, quantum cumq; etiam languidis successibus, auget malum; stipatum fit insuper manifestioribus turgescentiis, congestionibus, fluxibus atque eruptionibus.

Sicut autem, si modo semel perspecta sit hujus negotii, debitarum inquam, *uniuersalium* præoccupationum, efficacia, nemo facile fuerit, quin reliquam methodum illas adhibendi facilius assequatur; ita non est quod in his ipsis prolixiores simus.

Quando vero rectè satisfactum est hisce *antecedentium* causarum, præoccupationibus atque remotionibus, tunc respicere debent posteriores, oculorum constitutioni propriæ debitæ medicationes, ad hos scopos:

Primò ut *collectiones stases, restagnationes, resolvantur*; atq; discutiantur; ubi quidem *adstringentium, repellentium*, prouidus esse debet usus, ne sine prægressâ, aut concurrente sufficiente *resolutione*, instituantur.

Secundò ut *enryéveses, extuberantiæ excrescentiæ, secessiones* quæcunq; *fungosæ*, aut his similes, auferantur, commoda, successivâ, placidâ, securâ methodo.

Tertiò, instituenda etiam atque injungenda est oculi ipsius conueniens veluti diætâ, circa usum atque *exercitium* ejus; ne *remerè plus* quàm par est, aut præsens ejus constitutio permitteat, *fatigetur, oneretur, exerceatur* (acutiore *tenerarum rerum*, spectitatione, *luminosi splendoris excessu, frictionibus, ploratibus, vigiliis*; nec etiam sub eximiâ somnolentia præpostere coactis
acriori-

acrioribus videndi intentionibus, imprimis autem oculorum jam à talibus sagitationibus, & sub iisdem, *complorantium*, das die *Flugen stets darob überlauffen* / coacto exercitio) neque etiam quæ ipsum privatim gravare possunt in rebus non naturalibus, *venti*, nimia *humectationes*, *crapule*, *venerei abusus*, *iracundæ* & *mœstæ complorationes* &c. provocentur, aut ipsi indulgeatur.

Quarto, quoad ejus fieri potest, oculi potius *roborentur*, tam indulgentiore atque moderatiore *usu*; defensione à quibuslibet injuriis: auxiliis & *adminiculis*, pro commodius præstando suo officio: quàm ipsis *medicis*, subsidiis. Ubi tamen monendum est, ne in *artificialibus* illis adminiculis, nimium tribuatur *Dioptrici* machinamentis, antequam vel summa necessitas tale quid poscere videatur, & usus illorum tali constitutioni etiam plurimum adjumenti asserre sentiat: vel ipso facto, ab ejusmodi machinis, sine vel ex necessitate, adhiberi jam sÿctis, ataxia talis nudo organi usui inducta sit, quæ continuationem istius *artificialis subsidii* fradere, imo flagitare unicè, videatur.

Quinto, omni possibili modo tam in materia quam forma remediiorum eò respiciendum, atque tendendum, ut *irritationes* omnes, mitigentur atque potius præoccupentur, quàm ullo modo concitentur atque *provocentur*. Et sicubi aliter fieri non possit (quod in plerorumque, quamcunque etiam tenerorum, *septicorum*, usu contingere solet) quin medicamento optato necessario effectu, *irritatio* aliqua sese admisceat: eo quantum fieri potest, respicere convenit, ut illa, maturè quoque subordinatis convenientibus remediis, *mitigetur*, adeoque plurium symptomatum invitationi, occasio subtrahatur.

Sextò loco, videtur mentio injicienda esse justæ, imò necessariæ, considerationis, Fontes auxiliorum respicientis; an videlicet medicationes oculorum vitii convenientes, magis à *Medica* strictè dicta, *medico-chirurgica*, aut instrumentali *Chirurgica*,

rurgica, palæstra petendæ atque arcessendæ veniant, ad quemlibet præsentem certum specialem oculorum affectum. Ubi quidem illud monemus, purè *Medicam*, internam, tractationem, in oculorum læsionibus vix illum locum habere, nisi sub *generalionibus, præservativis, causarum* remotioni dicatis, methodis: *Medico-chirurgicam* verò, *externam topicam* methodum, plurimis oculum directè atque propriè obsidentibus pathematibus accommodatam esse. *Chirurgicam* vero *instrumentalem* atque manualet operam, præter applicationem peritiorum atque meliorem, *topicorum* medicamentorum, nonnullis *conformationis*, aut *epigeneseos* vitiis, veluti magis purè, directè, atque unice deberi: adeò, ut præ illa, omnis alia medicatio absolute inanis atque inutilis existat.

Generum medicamentorum ut aliquam etiam mentionem adiciamus, sint illa 1.) *Resolventia* atque *discutientia* in *ruboribus* oculorum magis privatis; ubi Radix Iridis Florentinæ, Herba Hyssopi, Chærefolii, Bellidis, Flores Cyani, Calcatrippæ, Calendulæ, verbasci, Rosarum, semen Anisi, Fœniculi &c. usum suum habent, varia tamen, & prudenti, atque perita, administratione. *Camphora* sicut omnibus aliis anteit efficacia, ita hic etiam egregie se gerit, dummodo applicatio commode institui queat. *Vinum* etiam calidum, ut aliàs fugillationibus conducit, ita habet hic quoque suum usum, exteriorem tamen, clausa palpebrâ. 2.) *Lenia adstringentia*, ubi Tutia, Pompholyx, Nihilum, Spodium, Mater perlarum, in censum veniunt: reverà autem ipsa quoque solutio saccharina Lithargyrii, sive *saccharum Saturni* solutum, hic prope modum antecellit, nisi ubi *exsiccandi* intentio necessaria concurrat. Omnium vero horum Coryphæus est *Vitriolum album*; & quidem usum etiam in oculum interno; sicut *lapis* ille *mirabilis Crollii*, alumine insuper, & bolaribus ingredientibus imbutus, & hoc ipso revera magis penetrans atque adstringens, *externo* saltem usu, clausa palpebra, linteolum in solutione ejus imbutum, imponendo. 3.) *Abstergentia*: inter quæ
cum

cum nihil sensum, hic exquisitissimum, feriens, commode locum inveniat, à multis hoc nomine molestis temperare sibi necesse est, quantumcunque etiam alias efficaciam habere possunt. Non potest hac infamia liberari Vitriolum Cyprium: est tamen interim, convenienti loco atque tempore usurpatum valde efficax. Lenius autem Alcohol elutriatum (*abgeschlemmt*) croci metallorum, nam nudum infusum, nisi cum menstruis notabiliter sensibilibus, nimis debile est. Saccharum Canariense albissimum, facit modicum, pulveretenus inflatum; longe minus, dissolutum.

Pinguedines, *Asciæ piscis*, *serpentis*, *Anseris*, (vide medicamenta *Rulandina*:), *recentiores*, *emollitoria* sunt: *antiqua colliquatoria*: cujus modi etiam est, sed acriter sensibilis, *Chelidon: maj*: succus flavus. *Empyreumaticæ* *pinguedines*, *septicae*, unde non frustra *Paracelsus*, *oleum laterinum* in oculis maximum *corrosivum* esse asseverat. De *specificis* *prolixis* esse non placet, sicut etiam de *Amuletis*, de quibus *prolixius*, cui vacat & placet, inspicere licet *Wolffii Scrutinium Amuletorum*. Fidem sanè antiquorum, minimè omnium elevamus, interim negare non possumus, nec unde nos in hunc diem rationem perspicere posse, quamobrem *Euphrasia* efficaciam specificam pro oculi affectibus tribuerint, nisi fortè magis nostratibus illud tribuendum est, quorum imprimis appellatio *Augentrost*/ hoc in passu nota est.

Valet autem hic imprimis animadversio jam supra à nobis allegata, quod multa temerè pro *universaliter* efficacibus accipiantur, quæ non nisi plane *particulariter*, si etiam modo hoc ipsum veraciter, conducunt: quod quidem de *chelidon: maj*: certissimum est.

Neque vero possumus, quin aliquid adjiciamus de *formulis* medicamentorum, ad *oculorum affectus* adhibendis. Usus hic sane est circumspècto judicio, dum frequentissima præstò sunt exempla, ubi *pulverulenta* formulæ, quantumcunque demum *alcoholisatis* seu summe extenuatis materiis, nihilolecius *presso-*

riam quandam irritationem in oculo causantur: Quod quidem tanto familiarius evenit, quando in oculis *submucidos* quidem *mador* versatur, qui *pulverulentam* illam substantiam, inæqualiter imbibat, & sensim, quantumcunque etiam novi succedat mucoris, magis in unum velut a n-gulum compingat, & ad inferendam hanc oculo molestiam disponat.

Interim tamen cavendum etiam est, ne nimio *fluidarum* formularum usu, oculis haud multo levius præjudicium atque incommodum inferatur; quando quidem revera nimia *rem litio* atque *relaxatio*, non parum damni oculis conciliare valet, si assiduo atque perpetuo usu humidiorum, inducatur. Unde quidem in ejusmodi casibus optima efficaciam sunt *adstringentia*, reliquæ formulæ moderatè atque proportionatè remixta vel interposita: ubi quidem locum habet supra laudati *virrioli albi*, & *lapidis mirabilis Crolii*, efficaciam.

Campboræ usum, cum superius, & jure quidem meritoque, commendarimus; monere hic debemus de ejus efficaciam, quod *formulis* quidem externo usui adhibendis, admodum convenienter affocietur, in plerisque oculorum vitiis; siquidem & *resolvendi*, & *difcutiendi*, & ita aliquatenus *exsiccandi* efficaciam habet: Quoad formulam saltè, si *spiritu vini* dissoluta adhibeatur, (ubi omnium penetrantissime agit) cavendum est, ne aliquid ejus *intrà* oculum defluat, ubi *igneum* velut ardorem inducit. Unde commodissime, vel penicillo, iterum mediocriter expresso, *parcè* palpebris illini potest; sed hoc ipsum multiplici ductu repeti aut continuari; aut *sintoolum* guttatim asperso spiritu, tam diu in libero aere relinqui, donec humiditas maximam partem exhalaverit, *Campboræ* tenuissimè ipsi insinuata remanente. Imò verò, si à *spiritu* dictà ratione illito, *ardor* aliquis etiam in *superficie* palpebræ sentiat, potest ille non magis *commode*, quam *efficaciter*, citò difcuti atque depelli, si saltè vola manus, aut strophilo, aura, tanquam ventilabro, ad pauca momenta oculo admoveatur; aut lenis flatus oris, ab alio adstante, adhibeatur: ita enim cito exhalat spiritus vinosus, *Campboram* nihilominus poris insinuatam relinquens. Sicut etiam reperita tali illinitione, *Campboræ* tam copiosè ibi colligitur, ut *albidam* prorsus consistentiam representet. Neque tamen, si quid hujus spiritus etiam forte fortuna oculo illapsus sit, insignè statim damnum, sed benè gravissima molestia & incommodum, per aliquot momenta, expectari inde debet. Potest vero etiam cum una vel altera *amygdala* excorticata, subacta *campboræ*, cum momento aquæ rosarum, in emulsionem redigi, atque ita etiam *intrà* oculum instillari.

Plura hac vice non fert neque tempus neque charta, unde in his acquiescimus, DEO pro præstita suâ gratiâ, humillimè gratias atque gloriam concinentes.

Uc 787

ULB Halle

3

002 169 568




SB.

Uc 787

Uc 787







21

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
De
AFFECTIBUS
OCULORUM
IN GENERE,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI, ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HÆREDE &c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFES. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni
observantia cultu prosequendi,*

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraque & Privilegia
legitime capeffendi,

ad diem Junii, Anno M DCCII.

Horis ante & pomeridianis
publice ventilandam proponit,

ERNESTUS CHRISTIANUS Sange
Vratisl. Siles.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.